



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 81. Neapolis Regnum Ferdinando a Papa assertum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

cius effunderet. Verum cum S. R. I. E-
 lectorum, qui adhuc conflatae seditioni
 implicabantur, vel potentiam vereretur,
 vel forte tot Principum invidiam uno
 tempore in caput suum accersere nollet,
 contra illos nihil tentavit, sed unice vin-
 dictam exercuit in Albertum, & Sigis-
 mundum sibi sanguine junctos, qui tamen
 in Cæsaream Majestatem suam atten-
 tatae conjurationis Auctores præcipui e-
 rant. Ceterum ut absentiae suae a Con-
 ventu Mantuano rationem obtenderet, o-
 mnes hæc domesticas turbas Pontifici
 exposuit Imperator.

Sæcul. XV:
 A. C. 1458.

§. LXXXI.

*Neapolis Regnum Ferdinando a Papa
 assertum.*

Interim, cum per Callisti Pontificis obi-
 tum cuncta sublata essent obstacula,
 quibus Ferdinandus hucusque præpedie-
 batur, ne Neapolis Regnum jure fiducia-
 rio acciperet, ac ejus corona insigniretur,
 hinc Pius II. Callisti Successor hujus Re-
 gis gratiam sibi demerendi opportunita-
 tem gratulabatur, spe concepta, fore, ut
 illius auxilio munitus, Assisium, Nuce-
 riam, Galdumque recuperaret, quas ur-
 bes Picinus defuncti Regis Alphonsi
 Bellidux cum ejusdem copiis ceperat, si-
 bique hucusque vendicaverat. Nec sua
 Pontifi-

N n 5

Pontifi-

Sæcul. XV. Pontificem spes fefellit; restituit enim
A.C. 1458. Ferdinandus Pontifici præfatas urbes,

*Spond. ad
 ann. 1458.
 n. 12.*

*Collenut. l. 6.
 apud Maier.
 ex Monstre-
 let.*

simulque eidem cessit Beneventum, & Terracinam civitates, quas olim Pater ejus detinuerat, & Papa Ecclesiæ Domino obnoxias esse contendebat. Pius II. tanti favoris haud immemor, Cardinalem Ursinum Neapolin decrevit, qui Regi diadema imponeret, eumque in Regni possessionem induceret, nequicquam ob-
 luctantibus Renato Andegavensi, ejusque Filio Joanne Calabriae Duce, qui tunc Genuæ agebat, & hujus urbis Gubernator eo ex fine creatus erat, ut Alphonsi progressibus sese opponeret. Interim tamen utrique huic Principi datum, ut præter reliquas, quæ in beneficiaria ejusmodi regni concessione apponi solent, conditiones etiam addita fuerit hæc clausula: ut sine præjudicio aliorum esset alterius juris. Ferdinandus, ut pro hoc beneficio se gratum exhiberet, Antonio Piccolominæo Pii Pontificis Nepoti in uxorem dedit sororem suam, adjecto dotis nomine Amalfitano Ducatu, necnon ingenti pecuniarum summa, quam ad sexcenta aureorum millia ascendisse Maierus testatur; quippe Alphonsus Ferdinandi Pater plusquam sexies centena aureorum millia eidem reliquisse dicitur; Præterea præfatus Antonius pro toto Regno Neapolitano supremus rei judicariæ Præfectus

fectus nominabatur. Hoc tandem foedere Ferdinandus pacificam sui Regni possessionem obtinuit. Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LXXXII.

*Corinthus urbs a Mahomete occupata
& Insula Peloponesia tributo
subacta.*

Minus tamen favens tranquillitatis aura Orienti adspirabat. Hoc enim anno Mahometes II. Turcarum Imperator Corinthum vi cepit, totumque Peloponesum vectigalem reddidit; cum interea Palæologus Demetrius, & Thomas inter se de imperio litigarent. Hi duo Fratres Latinos pro auxiliis continuo sollicitabant, atque interim mutuis inter se diffidiis propriam suam ruinam omni contentione promovebant. Phranzes amborum, in quos irati Numinis furor tam claris argumentis, signisque erupit, cæcitatem amare deplorat, additque Chalcondyles, Turcas nullum prætermisisse annum, quin Christianos diversis in locis invaderent, indeque eos expellerent; His enim, prosequitur idem Auctor, infideles duo Imperia, duodecim regna, plurimas Provincias, ducentas insigniores urbes eripuisse dicuntur; ac nisi Deus dies Mahometis abbreviasset, forte longe plura, totamque Italiam, in qua

*Phranzes
lib. 3. cap. 3.*

*Chalcondyl.
l. 9. c. 1.*